


**601** *Fragmentum Theophili Commentariorum in Evangelia.— Ex Hieronymi epist. ad Algaciam, Quæst. 6.*

Theophilus Antiochenæ Ecclesiæ septimus post Petrum apostolum episcopus, qui quatuor Evangelistarum in unum opus dicta compingens, ingenii sui nobis monumenta reliquit, hæc super hac parabola in suis Commentariis est locutus. Dives, qui habebat villicum sive dispensatorem, Deus omnipotens est, quo nihil est ditius. Hujus dispensator est Paulus, qui ad pedes Gamalielis sacras litteras dedit, et legem Dei susceperat dispensandam. Qui cum cœpisset credentes in Christo persequi, ligare, occidere, et omnem Domini sui dissipare substantiam, correptus a Domino est : *Saule, Saule, quid me persequeris? durum est tibi contra stimulum calcitrare*<sup>35</sup>. Dicitque in corde suo : Quid faciam? quia, qui magister fui, et villicus, cogor esse discipulus, et operarius : *sodere non valeo*, omnia enim mandata legis, quæ terræ incubabant, cerno destructa, et legem atque prophetas usque ad Joannem Baptistam esse finitos; *mendicare erubesco*<sup>36</sup>, ut qui doctor fueram Judæorum, cogar a gentibus, et a discipulo Anania, salutis ac fidei mendicare doctrinam. Faciam igitur, quod mihi utile esse intelligo; ut postquam projectus fuero de villicatione mea, recipiant me Christiani in domos suas. Cœpitque eos, qui prius versabantur in lege, et sic in Christum crediderant, ne arbitrarentur se in lege justificandos, docere legem abolitam, prophetias præterisse, et quæ antea pro lucro fuerant, reputari in stercore. Vocavit itaque duos de pluribus debitoribus. Primum qui debebat centum batos olei, eos videlicet, qui fuerant ex gentibus congregati, et magna indigebant misericordia Dei; et de centenariio numero, qui plenus est atque perfectus, fecit eos scribere quinquagenarium, qui proprie pœnitentium est, juxta jubileum, et illam in Evangelio parabolam, in qua alteri quingenti, alteri quinquaginta dimittuntur. Secundum autem vocavit populum Judæorum, qui tritico mandatorum Dei nutritus erat, et debebat ei centenarium numerum, et coegit, ut de centum, octoginta faceret, id est, crederet in Domini resurrectione, quæ octavæ diei numero continetur, et de octo completur decadibus, ut de Sabbato legis transiret ad primam Sabbati. Ob hanc causam a Domino prædicatur, quod bene fecerit, et pro salute sua in Evangelii clementiam de legis austeritate mutuatus sit. Quod si quæsieris, quare vocetur villicus iniquitatis in lege, quæ Dei est; iniquus erat villicus, qui bene quidem offerebat, sed Filium persequens: habens Deum omnipotentem, sed Spiritum sanctum negans. Prudentior itaque fuit Paulus apostolus in transgressione legis illis quondam lucis, qui in legis observatione versati, Christum, qui Dei Patris verum lumen est, perdiderunt.

 *Fragmentum Commentarii Theophili in Canticum canticorum. — Ex Eusebii Expositione Cantici edita a Meursio pag. 37, emendatum ex ms. cod. 3024 biblioth. Bodl.*

Ex gentibus secundum carnem oritur Dominus, A salvo eo, quod ex Juda esse dicitur<sup>37</sup>. Quodnam est igitur lignum Libani? Ruth Moabitis. Ipsa enim peperit Jobed ex quo Jesse. Lectica igitur est corpus. *Lecticam fecit. Ex communi illud fecit. Quasi diceret: Tota ejus lectica charitas est, juxta istud: Major autem horum charitas*<sup>38</sup>. Lectica animas Deum in se gestantes designat. *Ex lignis Libani*<sup>39</sup>. Aliquando enim lignum adversarii eramus.

Ἐξ ἐθνῶν τὸ κατὰ σάρκα (68) ὁ Κύριος, σωζόμενου καὶ τοῦ ἐξ Ἰουδα. Τίς οὖν ἐστὶ τὸ ξύλον τοῦ Λιβάνου; Ῥούθ ἡ Μωαβίτις. Αὕτη γὰρ τέτοκε τὸν Ἰωβὴδ, ἐξ οὗ Ἰεσσαί. Φορεῖον τοίνυν ἐστὶ τὸ σῶμα. Φορεῖον ἐποίησεν. Ἀπὸ κοινοῦ (69) τὸ ἐποίησεν. Ὡσανεὶ ἔλεγεν, Ὅλον (Edit. Meursii male habet ὄσον) δὲ τὸ φορεῖον ἡ ἀγάπη ἐστίν, κατὰ τὸ Μείζων δὲ τῶν ἡ ἀγάπη. Φορεῖον τὰς θεοφόρους ψυχάς. Ἀπὸ ξύλων τοῦ Λιβάνου. Ποτὲ γὰρ ξύλον τοῦ ἀντικειμένου ἤμεν.

<sup>35</sup> Act. xxvi, 14. <sup>36</sup> Luc. xvi, 37. <sup>37</sup> Hebr. vii. <sup>38</sup> I Cor. xiii, 13. <sup>39</sup> Cant. iii, 9.

(68) Ἐξ ἐθνῶν τὸ κατὰ σάρκα. Theophilo hoc testimonium attribui testatur Græbius in ms. codice. Antiochenum esse conjecit vir eruditus, quamvis in Canticum canticorum scripsisse non perhibeatur Theophilus. Hanc conjecturam confirmare possunt quæ ad lib. i Theophili, num. 5, observavi. Noununquam enim Theophilus Antiochenus generatim vel sub Theophili Alexandrini nomine citatur, eique sua potius auferuntur quam aliena traduntur. Memorabilis sententia hujus scriptoris semel sub Theophili nomine, in *Parallelis* S. Joannis Damasceni, iterum sub Theophili Alexandrini nomine citatur. Ex eodem libro n. 4, aliud testimonium deprompsit S. Joannes Damascenus, quod Amphilocho attribuitur, et ex secundo libro,

num. 27, aliam insignem sententiam, quæ non sine gravi errato ascribitur Eleuthero, p. 315.

(69) Ἀπὸ κοινοῦ. Tres hoc loco afferuntur explanationes horum verborum: *Ferculum* (Græce φορεῖον, sive lecticam) *fecit sibi rex Salomon de lignis Libani* (Cant. 111, 9). Prima corpus intelligit quod sibi Christus formavit ex virgine, quæ a Juda originem quidem ducebat, sed tamen inter avias suas Ruth Moabitidem numerabat. Secunda explicatio lecticæ nomine videtur charitatem intelligere, quæ omnia complectitur et ad omnem agendi rationem pertinet. Tertia lecticam interpretatur animas Deum in se gestantes, quæ ex lignis Libani factæ dicuntur, quia antea diabolo erant emancipatæ.